

Ium ad Horizontem ductus intelligatur Arcus perpendicularis (pars Meridiani) notabit ille plagam in Horizonte Septentrionalem, si Polus fuerit septentrionalis; vel Meridionalem, si talis quoque Polus fuerit, cæteris ordine sequentibus. In hisce Sphæris tanta semper Cœli v. g. Septentrionalis pars in hemisphærium Spatii australe, & vice versâ, cadit, quantum Æquator à Vertice, vel Polus ab Horizonte, recedit.

IV.

De Motu & Situ Punctorum Cœli.

§. 6. Sed & quorumvis Cœli Punctorum & Stellarum situm & motum communem Æquator repræsentat: *Situm* quidem, quando certo sui gradu tanquam *Charactere* puncta, prædicto gradui è regione sita, quasi digito monstrat, & ubi secundum Cœli longitudinem procedendo consistant indicat: *Motum* vero, quando *Charactere* dicto similiter circumeunte, quàm longè punctum aut Stella *Characteri* respondens à certo limite motus jam vel tunc abierit, & in quonam Spatii tractu versetur, ostendit, qui, cum non nisi in Sphærâ recta simul cum illo suo correlato oriatur & occidat, *Ascensio recta* vulgò dici solet, aliàs *Locus Stellæ* s. puncti declinantis *Astronomicus* audit.

§. 7. Ut autem situs punctorum Cœli mobilium ad latera quoque definitus habeatur, ab utroque polo (G. H. Fig. 7.) per quodvis punctum interjacens (d. f. & c.) ad ipsum Æquatorem (AB) in Sphærâ Cœli ducti intelliguntur Arcus perpendiculares (G di. G fl.) simul cum Cœlo mobiles, qui distantiam illius puncti Cœlestis ab Æquatore, (quam inde non latitudinem sed *Declinationem*, eamque vel Septentrionalem ut *l f.* vel Meridionalem ut *l ff.* dicimus), definiunt, & mensurant; eademque operâ punctum (l) in Æquatore monstrant, quod est longitudinarius ille *Character* puncti collateralis aut Stellæ declinantis *f.* aut *ff.*

§. 8. Extra Sphæram Cœli verò in Sphærâ Spatii mundani similes per utrumque Polum & per Æquatorem, (seu potiùs Æquatori in transversum) ducti intelliguntur Arcus, sed immobiles, *Honarii* dicti, quos tanquam limites diurnos quævis puncta Cœli mobilia ipsæque adeò Stellæ quotidie semel transgrediuntur.